

Sebastian Schmidt Wilhelm Christian Schmidt


Disputatio Theologica De Statu Beatorum In Vita Aeterna

Argentorati: Spoor, 1675

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788066501>

Druck Freier  Zugang






75.



Fa - 1092 (75)



75

1. 80
2. -
3. -
4. -
5. -
6. -
7. -
8. -
9. -
10. -
11. -
12. -
13. -
14. -
15. -
16. -
17. -
18. -
19. -
20. -
21. -
22. -
23. -

Tomo hoc. **XXVIII** continentur:

1. Seb. Schmidii Commentarius in I Ep. Johannis §. 1688.
2. — Anal. et Paraph. Epistolae Jacobi Argent. 1685.
3. — De Fide chlosaica circa Myst. S. Trinit. 1654.
4. — De Deletionē à libro Vita. 1655.
5. — De Inramentic. ad Matt. V. et xpm, eb. Argent. 1663.
6. — Invektivum Chnsi in Pharisaeos Extu Matt. xvs. 1661.
7. — De Didrachmis à Chnsio solutis. 1663.
8. — Fides miraculosa. 1680.
9. — De Ficu à Christo arefacta. 1662.
10. — De Merito. 1663.
11. — ad locum Jo. VIII, 25. 1661.
12. — ad locum Jo. VIII, 47. 1661.
13. — Resolutio brevis Cap. IX ad Rom. 1658.
14. — De Primitiv Resurrectionis Chnsi. 1666.
15. — De Baptismo Super Mortuis. 1656.
16. — De Angelis in genere. 1662.
17. — De Peccato Origine. 1657.
18. — De libero Hom. Arbitrio in Spiritualibg. 1658.
19. — De libero Hom. Arbitrio in non Spiritualibg. 1657.
20. — Πίστις ἰσοδυναμεῖ. 1661.
21. — De Imputatione in opere Justificat. 1656.
22. — De Phrasi Indurare, et excecicare. 1655.
23. — De Ecclesie Catholicismo. 1657.

- * 24. Sebast. Schmidig de Duaby circa Sacram. Circumcis.
Propositionibg. 1654.
25. —. De Statu Beatorum in Vita eterna 1675.
26. —. De Obligatione Form. Concordia. 1680.
27. —. Tractatg Talmud. Sebachim. cūtmot. 1662.
28. Jo. Buismanij De Circumcisione Zypore. 1663.
29. —. De Eli Uli Lamah Sabartani. 1663.
30. —. An Christus Anm̄ Paschalem eodem cum Ind. tem-
pore edent. 1674.
31. Balthazar Raithig de Cabala ^{Tulay.} 1662.
32. Guilielmus Bajer de Præda Robusto erepta Inadlyp.
33. Jo. Feikti Expositio Oraculi Ysaiani LIII. Sept. 1662.
34. Balth. Scheic de Protevangelio. Augt. 1650.
35. —. Jonac Propheta expositus — 1605.
36. —. Kikajon Jonæ. 1653.
37. —. Ad caput ultimum Ultimi Propheta. 1664.
38. Lud. Hennig Munsteri Animalia q̄n vetita
Gene. 1687.
39. Zentgraff prodr. de loquod Deum dicit. 1677.
40. Georgi Calixti Expositio literalis Ep̄. Ephesior.

Pro M. Jo. Philippo Storrio
1696. Heilbr.

25. 30.
29.
23
3
1 3
25
36
2
3
4

I. N. J.
DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
STATU BEATORUM
IN VITA AETERNA,
QVAM


Adspirante divinâ SS. TRIADOS gratiâ
SUB UMBONE
VIRI MAXIME REVERENDI,
AMPLISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI

DNI. SEBASTIANI SCHMIDTII
SS. Th. Doctoris, ejusdemq; in alma Studiorum
Universitate Argentinensi Professoris Ordinarii,
celeberrimi, Conventus Ecclesiastici Præsidis
grayissimi, Dni. Patroni, Fautoris & Præceptoris sui
omni observantiæ & honoris cultu
prosequendi,

PUBLICE VENTILANDAM
proponit

WILHELMUS CHRISTIANUS SCHMIDT,
WINENDA- WÜRTEMBERGICUS. A. & R.
IN AUDITORIO MAIORI

Die 2^æ Julij Anno 1875
Horis consuetis.



ARGENTORATI,

Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.

ILLUSTRIS S. R. I. REIPUBLICÆ
HEILBRUNNENSIS
PROCERIBUS
VIRIS

*Magnificentia Splendore, Munerum Dignitate,
Meritorum Amplitudine, Eruditionis Præstantia, Consiliorum
Prudentia, & variarum rerum Experientia Nobi-
lissimis & Clarissimis,*

CONSULIBUS,
DNN. PRAETORI,
QVAESTORIBUS,
SENATORIBUS,

ut &
VIRO

Nobilissimo, Consultissimo & Excellentissimo
DN. FRIDERICO JACOBO *Noble* / JCTO
Clarissimo, Reip. Heilbrunnensis & variorum Statuum
Consiliario gravissimo.

Item
VIRO

Nobilissimo, Amplissimo & Prudentissimo
DNO. AUGUSTO FRIDERICO MOCKHELIO,
in Illustri JUDICUM Collegio Vice-Prætori gravissimo,

Nec non
VIRIS

Maxime Reverendis & Præclarissimis,
SENIORIBUS,
DNN. PASTORIBUS,
GYMNASII RECTORI.

*Dnn. Meccænatibus, Patronis, Promotoribus, Cognato
& Præceptori sanctè deVenerandis,*

Specimen hoc Theologicum submissè & obsequiosè
cum omnigenæ prosperitatis voto, consecrare debuit
WILHELM, CHRISTIANUS SCHMIDT, A. & R.

3.

Benevolo Lectori S. Pl.

Necessaria valde, utilis & jucunda homini Christiano est æternæ vitæ meditatio. Sanctum Henochum Patriarcham imitantur, qui in hac occupantur. Insignem namque hujus & nullo tempore intermissam de vitæ æternæ meditationem atq; concionem comprehendit phrasis, quâ sanctus Patriarcha cum DEO ambulasse dicitur, vel, ut alii vertunt, coram DEO. Quod dicit, *AMBULASSE eum* (Henochum) cum DEO, neutiquam monachorum more intelligi debet, quòd in privato angulo se continuerit, & ibi monasticam vitam vixerit, quin super candelabrum, seu, ut Christus loquitur, in montem poni oportet tantum Patriarcham, ut fulgeat in publico ministerio. Verba sunt B. Lutheri in Gen. V. pag. 100. Quam explicationem mox prosequitur: *Non enim, ut supra diximus, ambulare cum DEO, est in desertum fugere, aut latere in angulo: sed prodire secundum vocationem, & se opponere iniquitati & malitia Satanae & mundi, ac confiteri semen mulieris, damnare mundi religionem & studia, predicare per Christum aliam vitam post hanc vitæ.* Et post pauca: *Hic iterum ostenditur, quid sit cum DEO ambulare, nempe predicare aliam vitam, quàm hac est, docere de futuro semine, de conterendo capite serpentis, & destruendo regno Satanae.* Et postea: *Ambulavit itaq; Henoch coram DEO, hoc est, fuit in hac vitæ fidelis testis, quòd post hanc vitam æternam vitam homines victuri sint beneficio seminis promissi.* Hac enim est vita coram DEO, non illa animalis & corruptioni obnoxia. Sicut igitur hoc constanter predicavit, ita in ipso implet & verificat DEUS hanc predicationem, ut credamus & certo statuamus, Henoch hominem scilicet similem nobis, & carne & sanguine natum, sicut nos, ex carnali Adam, ad DEUM raptum esse, & vivere DEI vitam, hoc est, æternam vitam. Videmus ex his paucis allegatis, ut B. Lutherus, ubique in phrasi, *Ambulare cum DEO, vel coram DEO*, concionem & meditationem vitæ æternæ invenerit, & cruerit. Unde virtutem phræos in versione Germanicâ significantius exprimi non posse existimavit, quàm si redderet, *ein Göttlich Leben führen.*

30.

29.

28.

30.

31.

ren. Notum est, Scripturæ phrasin non ignorantibus, quod
II. *Ita, iuit, ambulavit, & similia verba, totum vitæ humanæ cur-*
sum denotent; non unum tantum alterumve actum aut opus
hominis, bonum malumve, designent. Ambula coram me, &
esto integer; inquit ad Abrahamum Dominus, totius vitæ inte-
gritatem exigens. Genes. XVII. v. 1. Beatus vir, qui non ambula-
vit (unquam) in consilio impiorum, & in viâ peccatorum non stetit
(unquam) Psalm. I. v. 1. Ambulavit itaque Henoch, hoc est, to-
tam vitam suam, omne, quod datum est, vitæ suæ tempus trans-
egit, cum DEO, hoc est, ut animo cum DEO esset, non cum re-
bus hujus mundi; ut semper vitam æternam, quæ apud Deum
est, meditaretur, non vitam hujus mundi, & quæ ad hanc per-
tinent. Ita Henoch vitam æternam meditatus semper est: nihil
hac ipsi meditatione jucundius, sed & utili⁹ nihil, nihil magis ne-
cessarium, visum est. Germani fortè dixerimus; Wo er gegangen
und gestanden / da ist er mit GOTT umgegangen / da ist er mit
seinem Gemüthe bey GOTT und im ewigen Leben gewesen.
3. Ubi ergò semper animus fuit, eò etiam præreptis ætatis, quâ di-
gnus erat longissimâ, annis à DEO translatus est. Laudem hinc
eò majorem meretur *Peregrini Juvenis Dn. Wilhelmi Christiani*
Schmidij, Winenda-Würtembergici, S. Theol. Studiosi industrij,
erudita de vita æterna in hanc disputatoriam chartam coarctata
meditatio, sed & scopo Disputationis egregiè convenit. Va-
ledicturus Universitati nostræ, cujus per aliquot annos gratus
civis fuit, specimen studiorum suorum ritè tractatorum edere
debit & voluit. Ecquæ verò convenientior esse possit mate-
ria, quàm quæ & studiorum & vitæ nostræ omnis ultimus finis
post gloriam DEI est, vita æterna? Macte ergò virtute & labore
Tuo, Schmidij; & ad hanc metam in omni vita deinceps quo-
que cum omnibus piis collima. Favebunt verò Nostro, quod
exopto, Patroni & Promotores: & ipse, cujus gloriæ se suaque
omnia dicavit, DE⁹ juyabit Spiritus sui gratia, regetq;, Amen.

Sebastianus Schmidt, D.



I. N. J.

DISPUTATIONIS THEOLOGICÆ

DE

BEATORVM STATV
IN ÆTERNA VITA.

PROOEMIUM.

§. I.



Uam misera hominis post la-
psum facta sit conditio, quam turpiter
suam propriâ culpâ amiserit stationem
beatam, neminem vel linguâ satis elo-
qui, vel animo assequi posse existima-
mus. Collatio status institutionis cum

statu destitutionis aliquid, quantum humanus in-
tellectus capit, ostendit. Videamus enim (ut non-
nihil ob oculos ponamus,) *Statum institutionis*, & ante
lapsum, inuenimus in eo summam perfectionem:
Concreatam scil. imaginem & similitudinem DEI in
homine, quæ definiente D. Dannhauer in *Hodof. Christ.*
Ph. s. p. m. 428. est potentia naturalis, homini concreatâ,
similima quoad animam Divinæ sapientiæ, justitiæ, pu-
ritati; quoad corpus, immortalitati; quoad totum,
majestati, beatitati. Intueamur contra *Statum destitu-
tionis*, & post lapsum, reperiemus summam imperfectionem:

A

nem:

30.

29.

28.

36.

38.

40.

nem: Intellectus nihil nisi meras *sepius & aduarias* primavæ illi luci, qua mens hominis collustrata fuit, succedaneas habet. In voluntate successit boni neglectus & mali delectus. In animo concupiscentia mali & cogitationes pravæ. Tantum ab illa primavæ DEI imagine omnis homo mutatus, invidiâ Diaboli & suâ ipsius culpâ, iræ divinæ & æternæ damnationis reus factus est, cui omninò tradendus fuisset, nisi Filius DEI, hominum Salvator, de cælo datus esset, ut mortem æternam, infernum & diabolum vinceret, de iis triumpharet, & amissa imaginis divinæ bona restauraret, & omnes in ipsum credentes cœlestis beatitudinis heredes constitueret, in æterna vita, in qua solidam fideles consecuti perfectionem, beatissimo suo statu non amplius exciderent, sed eo in omnem æternitatem fruerentur.

3.) *De qua sorte & Statu hominis beato in æterna vita* Exercitium hoc Academicum instituere, & Disputationem Theologicam pro exiguis admodum ingenii viribus conscribere, conscriptamque pro iis in publico Eruditorum consessu defendere placuit. Antequam autem ad pertexendam hanc disputationis telam nos accingamus, ne in ipso exordio peccemus, juxta Vatis, quem Mantua genuit, salubre monitum: *Ecl. 3.*

Ab Jove principium Musa, Jovis omnia plena.

Supplici corde veneramur, non tamen Jovem, sed DEUM in Trinitate Unum, & in Unitate Trinum, velit nobis gratiam suam divinam communicare, ut ea, quæ dicturi sumus, cedant in divini sui nominis gloriam, Ecclesiæ, Scholæ & studiorum nostrorum incrementum, & totius Christianismi nostri ædificationem. Hic unicus noster scopus est, quò collimamus, quem
ut

ut feliciter assequamur, ô JOVA JUVA, & nos tandem redde participes omnium bonorum cœlestium, & vitæ æternæ, in qua Te cum sancto & beato Angelorum & Electorum choro, pro hoc, & innumeris aliis, clementer concessis, beneficiis, in sempiterna seculorum secula, laudabimus & glorificabimus, Amen.

§. 2. Implorato divini Numinis auxilio rem ipsam nunc aggredimur, ita tamen, ut in ea pertractanda, justi ordinis habituri simus rationem. Tota tractatio Disputationis *duabus sectionibus* absolvetur. *Prima* exhibebit *Ὁρολογίαν*, sive explicationem quorundam in Disputationis titulo usurpatorum vocabulorum. *Alter*a complectetur *πραγμαλογία*. In utraque sectione simplicissimè & brevissimè in thesi, omisâ antithesi, otiosis, curiosis & nihil ad ædificationem facientibus quæstionibus & controversiis, recitaturi sumus ea, quæ in Systematibus & Compendiis Theologicis prolixè tractantur.

SECTIO PRIMA

Exhibens Ὁρολογίαν.

§. 3.

Acturis de Statu Beatorum in æterna vita, prout ordo, quæ in Ordo. hac disputatione nobis præscriptimus observandū, requirit, explicandi erunt 1. *Termini*, circa inscriptionē occurrentes, quibus probè intellectis, ad ipsam rei Definitionem, Definitionis explanationem, totiusque materiæ tractationem, feliciori pede progredi poterimus.

§. 4. *Primo* omnium occurrit vox *Beatus* examinanda, quæ in *Beatus*. sacra Scriptura non unam, sed plures accepit significationes. Aliquando *beatum esse*, idem vult, ac *faustum esse*, ubi non indigitur æterna beatitudo, e.g. quando Christus prædicit calamitates belli Judaici, & destructionem Hierosolymitanam, ita loquitur Matth. 24. v. 19. *Va prægnantibus & nutrientibus (lactantibus) in illa die.* & Luc. 23. v. 29. *Beata steriles & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt.* In quo postremo

A 2

loco

30.

29.

28.

36.

24.

38.

40.

loco Christus non hoc vult, quod sterilitate suâ steriles, & quæ liberos non gignunt, mereantur æternam beatitudinem, sed, quod feliciores sint in publicis calamitatibus, qui suum tantum calicem bibunt, & non simul etiam conjugum & liberorum miseriis excruciantur, uti egregiè explicatur à celebratissimo Theologo *Dn. D. Chemnitio p. m. in Exam. Conc. Trid. pag. m. 463. a.* Alibi *secundò*, in Scriptura vox *Beatus* refertur ad effectum, ex quo ceu signo certo concluditur, hominem esse beatum sive felicem, e. g. quando Christus apud Matth. c. 5. v. 3. seqq. beatitudines explicat, ubi vox beatitudinis non beatitudinem æternam, sed felicitatem fere quamlibet notat. *Tertiò* sumitur hæc vox pro peculiari prærogativa, quali gaudebat Virgo Beata Maria, mater Christi, quæ ipsa, attestante Luca, in Evangelio c. 1. v. 48. se beatam vocatum iri dicebat: *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, h. e. Etsi coram DEO ex illo tantum beata sum, non quia sum corporalis mater Messia, sed quia credo in eum, cujus mater sum, coram hominibus tamen beata dicar, propterea, quod DEUS me abjectam mulierem elegerit, in corporalem matrem Filii sui, Domini nostri JESU CHRISTI, uti explicat *D. Brentius h. l.* *Quartò* pro essentiali & immutabili beatitudine, qua solus DEUS beatus esse dicitur ab Apostolo Paulo 1. Tim. 6. v. 15. *Quintò*, pro accidentali æterna illa beatitudine, quâ Angelis, qui in veritate constituti sunt, & in bono jam confirmati sunt, & omnes fideles & electi fruuntur. In hac significatione usurpamus h. l. quæ, ut jam diximus, *duplex* habet *subjectum*, *Angelos* & *homines*, in quos essentialis DEI beatitudo, quæ cum miseria permutari, vel aliqua saltè ex parte vitari nequit, tanquã inexhaustus fons exundat, De posteriore a. nō priore, nobis est res futura.

Status. §. 5. Altera, hîc enodanda vox, est, *Status*, qui pro diversis diversorum temporum qualitibus in homine, est *quadruplex*. *1. Institutionis.* Qui status aliud nil est, quàm justitia & sanctitas vera, in qua primus homo conditus erat, consistens in summa totius hominis perfectione, omnium animæ & corporis virium rectitudine, integritate, puritate, ac cum lege divina conformitate, *D. Dieter. in Inst. Cat. p. m. 362. 363.* In quo statu homo felicissimus quidem erat, sed non consummativè beatus,

Status.

I.
Institutionis.

3.

tus, potuit enim excidere istâ suâ beatitudine, sicut revera excidit. Hæc imago DEI in homine primo erat quidem scala ad consummatam beatitudinem, non autem ipsa consummata beatitudo, uti ait *D. Dannh. Hodof. Ph. 5. p. m. 444.* *II. Destitutionis.* In quo statu homo consideratus, propter apostasiam suam, æternæ damnationis reus, cælo exulabat, justitiæ mortuus, adeoque minime beatus, sed propriâ culpâ miserrimus, Sathanicæ potestati relictus, & igni infernali adjudicatus erat. De hoc Statu infelicissimo & miserrimo frontispicium Disputationis nostræ non loquitur. *III. Restitutionis.* In quo Christus inter Deum justum justæque irascentem, & homines gravissimos peccatores, unicus Mediator, imaginem divinam in homine restauravit, ipse se latè acquisivit, & eum salvum fecit. Sed hæc salus in hac vita tantum inchoatur, in futura autem consummabitur. Ergò nec de beatitudine hac inchoata sermo nobis erit. *IV. Glorificationis.* In quo DEUS Trinus, Pater una cum Filio dilecto, & sancto Spiritu hominem ad vitæ terminum usque fidelem post carnis omnis resuscitationem, resurrectionem & judicium extremum, æternâ & cælesti gloria beat, ut cum ipso & sanctis beatisq; Angelis vivat, & inenarrabili gaudio & felicitate nunquam terminandis fruatur. *Περγουσιον* quidem hujus beatitudinis & glorificationis sentit etiam in hac vita homo fidelis, & post discessum ex hoc mundi ergastulo, per inevitabilem mortem, quando ipsius anima exit è corpore, statim secundum eam venit illuc, ubi Christus ipse Salvator, Goel & Dominus est, ibique vivit, & lætam suæ carnis resurrectionem expectat, post quam plenariæ & consummatæ beatitudinis fruitionem à beatifico Dei conspectu, assequitur, uti infra dicetur. De hoc gloriosissimo hominis statu, adeoque æterna ipsius in terra viventium beatitate, materiam disputationis nostræ sumpsimus.

2. Destitutionis.

3. Restitutionis.

4. Glorificationis.

§. 6. Considerato nunc hominis statu, quotuplex ille sit, & qui hic præcisè intelligatur, pergimus ad illa verba, quando in disputationis titulo diximus, *in æterna vita*, ubi de distinctione *vite*, quam insinuat vox æterna, aliquid dicendum erit, ut facilius nobis fiat transitus, & via nobis sternatur, & præparetur, ad ulteriorem explicationem h. l. propriæ significationis.

Vita.

A 3 §. 7. Vita

Vita divi- §. 7. *Vita* distinguitur primò in *temporalem* & *æternam*; deinde,
lio. *temporalis* rursus in *naturalem* & *spiritualem*, sive *gratiæ*. Funda-
 menta & testimonia habemus in ipsis literis sacris. In quibus
 1. **Naturalis.** 1. *Vita* significat nudam & simplicem viventis existentiam, quæ à
 formæ & materiæ, i.e. animæ & corporis unione dependet, quæ
 solutâ, ipsa hæc *vita* cessat. Hæc *vita* communis est hominibus,
 bestiis, & reliquis vivis, & proprio nomine appellatur *vita na-*
turalis, de qua Act. c. 17. v. 28. loquitur: 'Εν αὐτοῖς (Κυρίῳ) ὃς ζῶ-
 μεν, καὶ κινῶμεθα καὶ ἐσμεν. In ipso (Domino, cuius in v. præ. men-
 tio facta) vivimus, & movemur, & sumus. Vocatur item *ani-*
malis, ab anima, nobiliore hominis parte. Amat etiam dici
 2. **Spiritalis** *vita corporalis*, & *presens*. Hæc vitâ viventia nutriuntur, vege-
 tantur & crescunt, &c. 2. Est *vita spiritualis*, s. *gratiæ*, quâ ho-
 mines in peccatis mortui, spiritu DEI vivificantur, filii Dei vi-
 ventis fiunt, & vera ac viva membra in Christi corpore mystico,
 per communicationem Spiritus, spiritualiter vivunt ac sapiunt.
 Hæc *vita DEI* vocatur, Gal. 2. v. 19. Eph. 4. v. 24. quia DEUS
 eam in fidelium cordibus per renovationem Spiritus excitat, in
 ipsis vivit, operosus est per bona opera, & in ipsis tanquam pro-
 prio suo templo mansionem & habitationem parat. Joh. 14. v. 23.
 Appellatur etiam *vita Christi*, quâ se vivere gloriatur Apostolus
 ille Gentium Doctor, Gal. 2. v. 20. *Vivit in me Christus*, i.e. vitam
 mihi spiritualement donat, absque eo enim si forem, mihi in æterna
 morte manendum esset. Quo spectat Christi concio, quæ ex-
 tat Joh. 15. v. 5. *Χωρὶς ἐμοῦ ὁ δούλος τοῦ θεοῦ ἔδεν, sine me nihil pote-*
stis facere: nam ubi non habitat Christus per fidem in cordibus
 hominum, ibi non possunt homines DEO vivere, i.e. verè, Deoq;
 placencia bona opera facere. Sed de hæc vitâ, per quam DEUS
 3. **Æterna.** *Trinus* & *Unus*, vitam æternam in nobis tantum inchoat, Dis-
 putatio hæc nostra non agit; Verùm de *æterna* illa, quæ verè &
 propriè vocatur *vita*. *Vita gloriæ* aliàs appellatur, & est felicis-
 simus glorificationis hominis status, de quo paulo ante dictum
 est. Felix est sine morte, cælestis & æterna, & Iſangelica, in quâ
 nec species generatione, nec individuum alimento corporali tu-
 enda erit. vid. *D. Darnh. Hodof. Ph. 12. p. m. 1466*. Mentio hu-
 jus vitæ æternæ fit Dan. 12. v. 2. *Multi de his, qui dormiunt in terra*
 pulvere

3.

pulvere, evigilabunt, alij in Vitam aeternam, alij in opprobrium. Et in aurea illa salutis nostræ catena, Joh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. c. 6. v. 40. Hac est voluntas (Patris mei) qui misit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.

SECTIO SECVNDA

Exhibens Πραγμαλογία.

§. 8.

Absoluta nunc Ὁρολογία seu enodatione terminorum simplicium, quæ circa hujus Disputationis frontispicium occurrunt, accedimus ad πραγμαλογία, ipsam scilicet rei & materię tractationem, in qua primum locum occupabit Definitio, quæ hæc esto:

Status Beatorum hominum in aeterna vita, est aeterna gloria, & à conspectu DEI sempiterna beatitudo, quam Deus essentialiter beatus, omnibus finaliter credentibus, & propter fidem in Mediatorem Christum Jesum, ab aeterno gratis electis, post communem omnium demortuorum resurrectionem, & habitum vivorum & mortuorum extremum iudicium, donabit.

Definitio.

§. 9. Vel, si plenioris mavis, hanc Status Beatorum sive Vitæ aeternæ Definitionem ex D. Gerharδο Loc. de Vita Art. c. 12. habe:

Definitio
D. Gerhar-
di.

Vita aeterna est felicissimus ac beatissimus ille Status, quo DEUS ex immensa misericordia, propter Christum Mediatorem, perseverante fide apprehensum, pios post hanc vitam beabit, ut primum quidem animæ eorum à corporibus separata, postmodum verò eadem in die resurrectionis glorificatis corporibus redunita, ab omnibus miseriis, doloribus & malis liberata, cum Christo, Angelis sanctis, & omnibus electis in sempiterna latitia, gloria & felicitate vivant, perfectâ DEI cognitione, perfectâ sanctitate, & iustitiâ ornata, DEUM à facie ad faciem, sine fine videant, sine fastidio ament, ac sine defatigatione glorificent.

§. 10. In

30.

29.

28.

36.

2.

3.

4.

Objectum. §. 10. In hac Definitione nostra explicanda initium facimus ab *Objecto*, quod alii vocant *materiam circa quam*. Hoc objectum sunt homines in fide in Salvatore[m] Christum perseverantes. Angeli quidem, qui in veritate & obedientia, in qua creati erant, perstiterunt, objectum proprium æternæ beatitudinis etiã sunt, sed de his nos non esse acturos, supra diximus. Diximus autem *Vitæ æternæ objectum*, de quo nunc agimus, esse homines in fide usque ad finem vitæ permanentes, adeoque electos, quod claris Scripturæ sacræ probamus testimoniis. 1. Credentium esse vitam æternam, probat dictum Johannæum, quod in Evangelica ipsius historia c. 3. v. 16. 36. legimus. *Sic DEUS dilexit mundum, ut unigenitum Filium suum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui credit in filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.* Item c. 5. v. 24. *Amen, Amen, dico vobis, quia, qui verbum meum audit, & credit ei, qui me misit, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte in vitam.* 1. ep. cap. 5. v. 13. *Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filij DEI.* 1. Pet. 1. v. 5. *Virtute Dei custodimini, per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.* 2. Perseveranter autem & finaliter credentes intelligi, ut sic excludantur *πρόσωποι*, qui tantum ad tempus credunt, & temptatione abscedunt. Luc. 8. v. 13. probant verba, quæ legimus Matth. c. 10. v. 22. *Qui perseveraverit in finem, salvus erit.* Cumq; finaliter credentes absq; ulla sexus designatione, absolute, vitam æternam accepturos & possessuros esse, Scriptura s. DEI vox, afferat, & in Christo, causa salutis æternæ meritoria, nullum sit discrimen inter mare[m] & fœminam, non tantum mas, sed & fœmina huius salutis capax erit: Exertè enim 1. Pet. 3. v. 7. cohæredes gratiæ vitæ appellantur fœminæ. Est itaque regnum cœlorum paratum omnibus finaliter credentibus, sive maribus, sive fœminis, & ex quacunq; gente fuerint. Quod nomine Electorum eos insignivimus, non facimus illud sentu Calviniano, qui fidem ab actu electionis, quam absolutam faciunt, prorsus excludunt & exterminant. Sed intelligimus Electos, electione determinata & ordinata in fide, tales: *Elegit enim nos*
DEUS

3.

Bona pri-
vativa.
I.

§. 12. Aberunt ab Electis & Salvatis omnis generis ma-
la. I. *Peccatum*. Hoc enim in hac vita mortificari incepit, in al-
tera autem plenariè abolebitur. *In Hierosolymam cœlestem non*
ingressurum esse πᾶν κοινὸν καὶ ποιῶν βδέλυγμα, καὶ ἰερόσ, aliquod
coinquatum (immundum) *aut abominationem faciens & menda-*
cium, testis est Johannes Apoc. 21. v. 27. item Esa. 4. vers. 3. ait:
Sanctus vocabitur omnis, qui scriptus est in vita, in Jerusalem. Cla-
ra etiam sunt Apostoli verba I. Cor. 15. v. 50. *Caro & sanguis re-*
gnum Dei possidere non possunt, in quibus Apostolus non hoc vult,
quod humana caro & sanguis non possint intrare cœlestia regna,
sed quod humana natura peccato contaminata non possit antea
beatitudinis aeternæ particeps fieri, nisi deposuerit suam peccati
labem. Stat ergò sententia hæc, quod peccaminosa carò, qua
est peccaminosa, ante suam immutationem, & peccati totalem
abolitionem in beatorum τῶ non transferatur, & quod pecca-
rum in cœlo non amplius sit futurum, vel regnaturum, sicut in
hac vita totam nostram depravavit & corruptit humanam naturã.

3.

II

§. 13. Aberunt II. *Peccatorum Cause*, quarum 1. est *Caro*,
quæ originali peccato infecta. Hæc tanquam actualium peccato-
rum fons, exuet suam attractam vitiosam naturam, & induet
post communem mortuorum ad iudicium citatorum resurrecti-
onem, novas qualitates perfectas, de quibus in thesibus seqq.
2. est *Diaboli ad peccata instigatio*. In hac temporali vita Diabo-
lus circuit, velut leo rugiens, quærens, quem deglutiat. I. Pet. 5.
v. 8. in futura verò vita omni sua in homines violentia & frau-
dulentia privatus, cruciatibus aeternis, & igni inextinguibili tra-
detur, ut contra omnes ejus insultus & machinationes immunis
sit homo, in bono tum confirmatus, & in aeternam requiem
translatus. 3. Quæ hominem ad peccandum impellit, causa, &
ibi cessatura est, *Mundus pravus seducens* est, qui hîc datis scanda-
lis scelerate pravis concupiscentiis indulgendo, & secundum
carnem vivendo, pios & simplices seducit. In beatam autem
vitam collocati fideles ab omnibus malis mundi imposturis & se-
ductionibus erunt liberati, quoniam tanto intervallo aberunt
pii ab impiis, quanto cœlum ab orco, ut colligere licet ex Luc.
16. v. 26. ubi *χάσμα μέγα, magnum chaos* inter beatos & damna-
tos

tos firmatum esse dicitur. Hinc foris esse dicuntur canes & venesfici, & impudici, & homicida, & idolis servientes, & omnis, qui amat & facit mendacium. Apoc. 22. v. 15.

§. 14. Aberunt III. consequenter peccatorum poena, calamitates, morbi, & ultima linea rerum, mors, quibus omnes, quotquot hanc temporalem lucem aspiciunt, subjecti sunt, quia omnes in Adamo peccarunt. Hæ poenæ & mala omnia in illa vita cessabunt, cum ibi eorum causæ etiam sint cessaturæ. III.

§. 15. Aberunt denique IV. corporis affectiones, & qualitates prava, & imperfecta; fames, sitis, efus, potus, somnus, &c. ibi non amplius erunt, sed beati, ex beatifica DEI visione, summam capient satietatem, & eorum corpora talibus erunt donata qualitatibus, quæ istis non opus habebunt. IV.

§. 16. Aderunt è contra Beatis, omnis generis bona, quæ pro diversitate totius compositi partium, etiam duplicia sunt, alia, quorum capax est anima; alia, quorum corpus fit particeps. Interter anima bona eminet perfecta DEI & mysteriorum divinarum cognitio, quam primo loco inter thetica bona ponunt Doctores Theologi. Hæc ex visione DEI, quam bonum totius compositi, ex quo profuit dilectio, exultatio & glorificatio, appellare possumus, in beatis non erit partialis, sicut in hac vita, attestante Apostolo i. Cor. 13. v. 9. ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; sed erit absolutissima. Intelliget enim tunc homo beatus, quæ sibi in hac vita fuerunt obscurissima, quorum cognitionem claram & perfectam neque animi, neque corporis oculis, assequi potuit. Consiliorum & operationum divinarum, clarissimo tam ad intra, quam ad extra, divino lumine illustratus, plenissimam habebit notitiam. Et penetrabit ad omnium rerum formas & proprietates. Beatos Angelos & homines, quos hîc videre non contigit, habebit sibi notissimos, perspectissimos, adeoque etiam familiarissimos. I. Anima.

orta,

§. 17. Alterum, quod à Doctoribus Theologis notatur animæ bonum positivum, est legi divine adequata & conformis voluntas, libera ab omni peccati labe, sanctissima & confirmata in omni bono, ita ut à Deo eminentissimè Bono, nunquam deficere possit. Verbo dicam, est consummata voluntatis & appetitus

petitus rectitudo, quam demonstrat Apostolus Col. 1. v. 22. Ex appetitus rectitudine ultro denique fluit dilectio DEI, & proximi; & intuitiva summi boni cognitio vi naturæ boni, quod appetitur per se, intensissimum accendit ejusdem amorem, cujus objectum non tantum Deus, sed & proximus, cujus amor ex Dei amore oritur, erit.

II. Corporis. Spiritualitas.

§. 18. Pedem nunc promovemus ad alteram hominis beati partem, corpus scilicet & spectabimus etiam ipsius bona, quibus in beata vita beabitur. Inter hæc 1. est *Spiritualitas*, non hoc sensu, quod corpora Beatorum futura sint in spiritum conversa, sed quod spirituales qualitates sint habitura, sicut spiritus, v. gr. Angelus, cibo, potu, quiete & similibus non amplius indigentia. Uti conjugia ipsis responsio Christi ad quæstionem à Sadducæis propositam, data denegat. Matth. 22. v. 30. *In resurrectione neq̄ nubent, neq̄ nubentur, sed sunt, sicut Angeli DEI in cælo.* Elegantissimè de hac spiritualitate scribit D. Chemnitius lib. de duabus Naturis in Christo c. 30. p. m. 175. *In resurrectione erunt corpora æqualia spiritualia, non quod in spiritum transmutabuntur, aut quod ejusdem substantia cum Spiritu sancto erunt, habebunt enim & retinebunt naturam sive substantiam corporis, sicut Job inquit: In hac carne mea videbo Deum meum, & in Symbolo credimus huius carnis resurrectionem, sed erunt spiritualia, quia quod nunc anima est corpori, hoc tunc, excepta hypostatica anima & corporis unione, spiritus erit anima & corpori. Corpus enim absq̄ mediis à spiritu sustentabitur & conservabitur, & corpus una cum anima perfectissimè subiecta erunt ductui ac gubernationi spiritus.* Hæc ille.

3.

Ἀφθαρσία ἢ ἀθάνατος, incorruptibilitas & immortalitas.

§. 19. II. Ἀφθαρσία ἢ ἀθάνατος, incorruptibilitas & immortalitas. Corpora glorificata non amplius erunt ulli corruptioni obnoxia, exultat enim à cælo corruptionis & mortalitatis causa, peccatum. Immortalitas contingit ipsis per singularem DEI gratiam, & perfectam divinæ imaginis restaurationem ex beatifica DEI visione ortam. Et distincta erit 1. ab immortalitate DEI, absolute & per essentiam & naturam suam immortalis. 2. Ab immortalitate hominis primi, potentiam non moriendi habentis. 3. Ab immortalitate spirituum, Angelorum & animarum, quorum spirituum essentia ex creationis beneficio
expers

expers est omnis materia, à qua separata est. 4. ab immortalitate damnatorum, qui miserissimam & infelicissimam habebunt immortalitatem, huic enim poenæ (cruciatu æternum durantes) conjunctæ erunt. Expressa hanc incorruptibilitatem & immortalitatem adstruunt Scripturæ dicta, inprimis dictum Pauli 1. Cor. 15. v. 54. *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem.* In hoc capite 4. glorificatorum corporum dotes recenset, generalitatem dicti Salvatoris Matth. 22. v. 30. *evolvens a. ἀφθαρσίαν, v. 42. b. δόξαν, v. 43. c. δύναμιν, ibid. d. spiritualitatem. v. 44.* His accedunt alia, utpote Esa. 25. v. 8. *Os. 13. v. 14.* 2. Cor. 5. v. 4. 1. Joh. 2. v. 17. Apoc. 2. v. 11. Probamus item hanc immortalitatem ex Angelicis qualitatibus, Angelorum naturam referentibus, quas juxta expressam Christi assertionem Matth. 22. v. 30. accipient.

§. 20. III. Ex dotibus corporum glorificatorum est *Impassibilitas.* Nam impassibilia illa erunt duplici ratione, videlicet 1. earum passionum respectu, quæ intra hominem sunt, & ex concupiscentiæ fomite nascuntur. 2. respectu externarum passionum, quæ homini extrinsecus obveniunt, & dolorem excitant. Etenim nulla beatos mordebit fera, nullus devorabit ignis, nulla absorbebit aqua, nulla deglutiet terra, nullus vulnerabit gladius, nullus inuret æstus, nullum feriet frigus, nulla affliget fames vel sitis. Probationem nostram iterum desumimus ex omnium dogmatum divinorum norma, & lydio lapide, Sacra Scriptura, in qua Spiritus S. expresso oraculo, Apoc. 7. v. 16. asserit: *Non esurient, neq; sitient amplius, nec cadet super illos Sol, neq; ullus æstus.* c. 21. v. 4. *at: Et absterget DEUS omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit; neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Quibus vitæ æternæ felicitas adumbratur, in qua nihil nobis erit molestum, nihil dolorificum, nihil triste, sed cor beatorum perpetuam sentiet lætitiâ. Pari ratione, quâ reliquas dotes, quas subjungemus, quod probè observandum, impassibilitatem beatorum corporum probant eorum Iangelica natura, Matth. 22. v. 30. & conformitas cum clarificato Christi corpore, Phil. 3. v. 21.

30.

29.

28.

27.

36.

2.

3.

4.

Claritas.

§. 21. IV. Est *Claritas*, quam Apostolus Paulus in loco supra citato 1. Cor. 15. v. 43. vocat *δοξασ*, *gloriam, fulgorem*, quia scilicet beatorum corpora erunt cœlesti fulgore lucida, & aliis magnificis ac gloriosis & cœlestibus conditionibus ornata. *Fulgebunt enim iusti, sicut Sol, in regno Patris eorum*, Matth. 13. vers. 43. uti probant exempla Moïsi & Eliæ, in transfiguratione Christi, in monte apparentium *in gloria, in fulgore*. Testimonia plura in Scripturis sacris passim inveniuntur, præprimis Dan. 12. v. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates*. 1. Cor. 15. v. 41. 43. 47. *Alia claritas solis, alia claritas luna, & alia claritas stellarum: Stella enim à stella differt in claritate: Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur (corpus) in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*. Col. 3. v. 4. *Cum autem Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis, cum ipso in gloria*. 1. Pet. 5. v. 1. *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior, & testis Christi passionum, qui & eius, qua in futuro revelanda est, gloria communicator*. Adde Sap. 3. v. 7. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintilla in arundinetis discurrent*. & Phil. 3. v. 21. *Qui (Jesús Christus) reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ, qua etiam potest subicere sibi omnia*. Denique hanc qualitatem docet natura Angelorum, quibus similes sunt futuri.

Δύναμις,
Potentia,
Robur.

§. 22. Huic claritati V. adjunctam habebunt corpora glorificatorum *δύναμις*, ut Apostolus inquit, *fortitudinem, sanitatem, & robur* sine omni imbecillitate. Quam *δύναμις* rursus demonstrant. 1. Cor. 15. v. 44. *Seminatur (corpus) in infirmitate, surget in virtute*. Et angelorum natura, qui spiritus sunt potentes, virtutes ab ea potentia dicti. Eph. 3. v. 10. *Ut innotescat nunc principatibus & potestatibus, in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia DEI*. Rom. 8. v. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate DEI, qua est in Christo Jesu, Domino nostro*. Col. 1. v. 16. *Quoniam in ipso (Christo) condita sunt universa in cœlis, & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive domina-*

3.

dominationes, sive Principatus, sive potestates. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt. Et Psal. 103, v. 20. dicuntur כח גברי fortes robore. Erunt ergo & ipsa corpora glorificata potentia, potentibus angelis similia.

§. 23. VI. Corporum glorificatorum gloria consistit in *formositate*, sicut angeli lucidissimi sunt formosissimi spiritus, & corpus Christi clarificatum est omnium pulcherrimum, ita etiam ex conformitate, quam Beati cum Christi corpore & Angelorum natura habebunt, sponte sequitur, etiam ipsorum corpora glorificata futura esse formosissima, expulsa omni deformitate & foeditate. Omnia membra ipsorum erunt pulcherrima, pulchritudinem & formositatem suam accipientia à clarissimo splendore, quo praedita sunt in altera vita. Ceterum probamus hanc nobilitatem ex dicto Apostolico I. Cor. 15, v. 44. *Seminatur (corpus) in ignobilitate, surget in gloria.*

Formositas.

§. 24. VII. Quando superius demonstratum est, corpora glorificata Beatorum esse *νευσμαλινά*, spiritualia, ex hac spiritualitate certo colligitur, ea esse *agilima*, ita ut celerrimo & illocali motu ex uno in alterum *πρὸς*, se movere queant, & suae beatitudinis consortibus, in uno momento praesentes esse. Quemadmodum etiam Angelos non sese movere oportet motu successivo, sed in instanti potest fieri ipsorum motus, & quam celerrime, imò, uti dictum, in uno momento sunt & esse possunt, ubi volunt. Hinc talia Beatorum corpora agilia comparantur cum scintillis in arundinetis discurrentibus. Sap. 3, v. 7.

Agilitas.

§. 25. VIII. Agilitatem excipit *Subtilitas* penetrabilis alia corpora, & in eodem loco cum alio corpore coexistentia non repugnantia, uti Angeli subtilissimi sunt spiritus, quibus fores clausae nullo modo esse possunt impedimento, nulli remorae, quo minus eas penetrare possint. Cujus rei exemplum legitur in Apostolorum Actis c. 12. ubi Angelus à Domino ad Petrum, ut eum è carceris squalore educeret, missus, fores obseratas & clausas penetravit. Eadem dote Beatorum corpora donata erunt in altera vita.

Subtilitas.



Invisibilitas.

§. 26. IX. Subtilitatem hanc comitatur *Invisibilitas*: Non enim Beatorum corpora nisi per singularem *divinam* possunt videri ab oculis nondum glorificatis. Similia namque Angelicæ naturæ erunt. Angeli autem sunt spiritus visibiles in se, visibiles verò facti quandoque per peculiarem dispensationem divinam, quando in assumpta forma & corporibus indutis, visibili specie sanctis ad tempus apparuerunt, & divina mandata in ista ad tempus assumpta visibili specie executi sunt. Conformitas item cum corpore Christi hoc testatur. Namque corpus Christi sæpius adhuc in exinanitionis statu medio, & post resurrectionem multis fuit invisibile. Uti in Evangelica historia multis in locis clarissima habemus testimonia.

Illocalitas.

§. 27. His accedit X. *Qualitas*, *Illocalitas*. Sicut Angeli in nullo loco physico sunt circumscriptivè, sed in π^o definitivo modo, secundum quem, definiente *Ebelio Aphor. Metaph. disp. 7. §. 31.* aliquid essentia ratione, est totum in toto spatio, & totum in qualibet parte spatii, i.e. non habet essentiam vel præsentiam per partes spatii extensam, quemadmodum corpus Christi glorificatum, non circumscribitur loco naturali, corporali, ita nec Beatorum corpora glorificata ullâ superficie aut ambiente loco physico, cum Beatorum cælum, in quo sunt, non sit locus aliquis physicus, corporeus, circumscribuntur.

Impalpabilitas.

§. 28. Tandem XI. inter Beatorum corporum dotes referimus etiam, quæ ex spiritualitate sequitur, *Impalpabilitatem*. Sicut spiritus non possunt palpari, ita nec ipsa sunt palpabilia, quia in sua gloria habebunt spirituales proprietates. Notandum tamen hîc non excludi *divinam*, nam & per divinam dispositionem, & à tangentibus glorificatis, tangi posse, credimus, quod etiam corpore Christi docemur, Joh. 20. v. 27.

Suavissima cum Deo, Angelis & Sanctis Conversatio.

§. 29. Sunt & alia, quibus Electi in cælo gaudent, & in nostram considerationem veniunt Bona, quæ ex eo, quod ista extra se in aliis sentiunt, externa dicuntur. Et sunt *suavissima cum DEO, Christo, Angelis & sanctis hominibus Conversatio*, de qua multa loquuntur Scripturæ dicta, eandem fidelibus & sanctis promittentia. Illustre dictum legitur Joh. 14. v. 1. 2. 3. in quo Soter noster Apostolis suis hanc amicam & beatam conversationem

3.

rationem pollicetur, inquit: *Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei mansiones multe sunt: Si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Et si abiero & preparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* v. 23. Christus promittit suam & Patris mansionem apud fideles. v. 16. promissionem facit presentiae Spiritus seu Paraleti seu Consolatoris aeternae: *Alium consolatorem vobis dabit, ut maneat vobiscum in aeternum.* Hujus Beatorum cum DEO & Christo conversationis tanto desiderio tenebatur Apostolus Paulus, ut dissolutionem suam, & cum Christo conversationem non una, sed pluribus vicibus ab imo pectore suspirans, cupiverit. Ea promissio latroni cum Christo crucifixo, & in cruce converso facta est dulcissimis his verbis: *Luc. 23. v. 43. Hodie mecum eris in Paradiso.* Societas cum Deo & Christo consequentem habet societatem cum Angelis, quam Spiritus S. per Authorem Epistolae ad Hebr. c. 12. v. 22. his verbis spondet: *Sed accessistis ad Sion montem, & ad civitatem Dei viventis, Hierusalem caelestem, & multorum millium Angelorum frequentiam.* Consequentem diximus hanc societatem ex societate cum DEO & Christo: Si enim Sancti Angeli stant ad thronum DEI, hymnis & laudibus eum celebrantes. *Es. 6. v. 3. Pl. 103, v. 20. Luc. 2. v. 13. & Beati erunt ισάγγελοι, sicut angeli, & DEO praesentes, ut supra dictum, necessum est eos cum Angelis esse, & una cum illis collaudatores existere, uti hanc glorificationem ipsis attribuunt. Pl. 84. v. 5. 126. v. 1. Es. 26. v. 19. Jer. 31. v. 11. Apoc. 19. v. 1. Apoc. 7. v. 9.*

§. 30. Amicam reddet hanc societatem & conversatio- Mutuus
nem *mutuus DEI, Angelorum & Beatorum Amor, Honor & Collo-* amor.
quia. Praeceptum Christi Matth. 22. v. 37. 38. 39. 40. quod accepit Legis Doctor, & nos cum ipso, quia *quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Rom. 15. v. 4. in hac vita servatu impossibile, propterea quod perfectionem, in ipsam, post primorum nostrorum parentum lapsum, non cadentem, tamen requirit, & juxta Christi vocem Matth. 5. v. 8. *Donec transeat caelum & terra, jota unum, aut unus apex, non prateribit a lege, donec omnia fiant,* in altera & beata vita impleri oportet.

C

§. 31.

30.

29.

28.

36.

2.

3.

4.

Colloquia §. 31. Colloquia inter ipsos miscbuntur suavissima, ut constat ex Matth. 17. v. 3. Lingua ut probabile est ex Act. 26. v. 14. **Idioma.** Sancta Hebraica primigenia in iis colloquiis, institutis de divinis mysteriis, collatis in miseros peccatores & totum genus humanum & reliquas creaturas omnes beneficiis, & ad laudes Trinuni dicendas, sunt usuri. Quae usi sunt primi homines usque ad extructam turrim Babylonicam, ex quo tempore linguarum varietas initium sumpsit. Quam DEUS ipse usus est ad Sanctos Patres loquens. Illud autem fiet non ex necessitate, ac si reliquarum linguarum cognitio Beatos sit fugitura, verum quia est lingua omnium antiquissima, sanctissima. Quamvis de intricatis & inexplicabilibus quaestionum nodis exolvendis hic non erimus solliciti, quandoquidem tacente scriptura & nos tacere decet.

Habitatio. §. 32. De *Habitatione*, quae inter externas Beatorum doctes altera est, hic aliquid dicendum erit, sed ut omnem prolixitatem, quam charta tam angusta, huic nostro Discursui destinata, non capit, vitem⁹, extremis tantum, ut ajunt, digitis eam tangem⁹. Erit autem Beatorum *Habitatio pulcherrima, jucundissima, aeterna. Pulchritudo* ejus colligitur ex hoc, quod ea Apoc. 21. typicè descripta v. 11. lumen dicitur habere simile lapidi pretioso, tanquam lapid i Jaspidis, sicut crystallum. item v. 10. cap. cit. vocatur *Civitas magna sancta Hierusalem*. Luc. 23. v. 43. *Paradisus*. Deut. 26. v. 15. *Habitaculum Sanctitatis*. Haec & caetera multa encomia & elogia, Beatorum Habitationem, à sua eximia, & admiranda, & nunquam superata, vel superanda pulchritudine, commendant. Ex qua Pulchritudine oritur ejus *summa jucunditas*, omnium Beatorum animas, maximà & aeternum durante lætitiâ, afficiens. In hac vita sapius inhabitantur domicilia, & palatia fatis ampla atque pulchra, sed transitura cum tota hujus mundi structura in consummatione seculi transeunte; In ista autem vita, Beatis erit habitatio non tantum omnium pulcherrima & jucundissima, verum etiam *aeterna*, nunquam terminanda, nunquam fragilis futura, aut ruinam minatura. Quare Gentium Apostolus 2. Cor. 5. v. 1. ait: *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra dissolvatur, adificationem ex Deo habemus, domum*

non manu factam, sed æternam in caelis. & 2. Pet. 1. v. 11. æterni regni Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi nomine venit.

§. 33. Satis jam dictum sit de Materia sive Bonis Beatitudinis civium cœlestium, progredimur nunc ad *Formam* istius, quæ juxta Theologorum sententiam est *omnium bonorum*, quæ in thesibus antecedentibus recitata & demonstrata sunt, *fruitio ac DEI visio*, promissa Psal. 91. v. 16. *Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.* Es. 66. v. 18. *Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum: Venio, ut congregem cum omnibus Gentibus & linguis: & venient, & videbunt gloriam meam.* Matth. 5. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sperata à sanctis fidelibus, Jobo, sine exemplo, patiente Job. 19. v. 26. *Et rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEUM.* & Davide Pl. 17. v. 15. *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Visio hæc, quæ summæ dulcedinis, summi gaudii & summæ quietis causa est, beatifica ac satisfiativa erit, quia *Deus erit omnia in omnibus*, h. e. omnes hominis cupiditates abundantissimè ac immediatè explebit. Ergò consequenter gratifica. Est enim ut averfâ Numinis facies iræ, ita adversâ adque intuitum prona, gratiæ signum. Est ergò etiam lætifica. Qui in crebant olim faciem operiebant, ut David egrediens Hierosolymis, Romani puniendis faciem obvolvebant. Ita contra detectâ facie intueri Deum, est in summa esse lætitia. *Hodof. D. Dannhavver. Ph. 3. p. 334.* Hujus visionis objectum Deus est in essentia, & Christus in humanitate. Deum in essentia videbunt Electi visione non comprehensiva, i. e. adæquata ejus cognitione, sed intuitiva & quidditativa, quâ Deus cognoscitur, qualis est. Non ænigmatica sive speculari. 2. Cor. 5. v. 7. qua nunc per speculum in ipsa natura sive rebus creatis, quæ contingit omnibus hominibus; in symbolis & figuris, qua fruebantur Patres in V. T. in verbo revelato ex voluntate DEI saltem antecedente, communi. Sed à facie ad faciem videmus. 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem à facie ad faciem.* Christum in sua humanitate etiam summa cum delectatione & gaudio intuebuntur in altera vita: Nam, *similes erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est.* 1. Johann. 3. vers. 2.

C 2

Quod

Videmus

30.

29.

28.

36.

2.

3.

4.

Quod autem hujus visionis sit futurum organum ; & quis modus, num oculus glorificatus, & per lumen supernaturale ita elevatus, ut ad ipsam DEI essentiam penetrare possit, num verò alius sit futurus hujus visionis modus, per oculos mentis sive intellectum, nemini hominum mortalium in hac vita certò constabit, sed demum ad conspectum faciei DEI admissi experturi sumus in futura vita, quamvis magni nominis & existimationis *D. Gerhard, L. C. de Vit. Act. §. 144.* & cum eo alii plures probabilem hanc foveant sententiam, arbitrantes visum corporeum elevari posse ad DEUM videndum, quia, per lumen supernaturale, intellectus creatus elevetur ad DEUM, intuitivè cognoscendum. Reliquas rationes, quibus hanc suam monstrat sententiam *D. Gerh. vide l. c.*

Causa efficiens.

3.

§. 34. Hactenus demonstravimus pluribus thesibus, quid sit Beatorum Status, & in quibus consistat, sive quæ sit materia & forma ejus: reliquum est, ut jam etiam *Causas* ejusdem ostendamus & explanemus. *Causa efficiens* hujus Beatitudinis hominis electi est *solus DEUS*, attestante Scripturâ *Rom. 6. v. 23. Stipendia enim peccati, mors; gratia autem DEI, vita aeterna, in Christo Jesu Domino nostro. Eph. 2. v. 8. 9. Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis. DEI enim donum est, non ex operibus, ut ne quis gloriatur. 1. Joh. 5. v. 11. Et hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis DEUS. Et hæc vita in Filio ejus est. Col. 1. v. 12. Gratiis agentes DEO & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. Est enim solus DEUS, qui elegit nos ante jacta mundi fundamenta, Eph. 1. v. 4. qui nos justificavit & glorificavit inchoativè in hac vita, in illa autem aeterna consummativè. Est solus fons & origo omnis boni, extra quem non est Servator, *Es. 43. v. 11. c. 45. 21.* Gratia hæc Dei justificantis & salvantis nos universalis est, & voluntate antecedente totius generis humani salutem serio & ardentè expectit, ut videre est *1. Tim. 2. v. 4.* præter omne ullius hominis meritum, quod vel solum *κλῆρονομία* nomen evincit, *Col. 1. v. 12.**

§. 35. Hæc, inquam, gratia Dei justificantis & salvantis nos, fundata est in Christo *Θεοῦ δούλω*, salutem hanc obedientiâ suâ tam activâ, quam passivâ, h. e. satisfactione DEO Patri suo nostri

30.

29.

28.

36.

2.

3.

4.

noſtri vice præſtita, merente. Juxta quem reſpectum ipſe æternæ beatitudinis *Cauſa meritoria* eſt, quæ cum cauſa efficiente principali neceſſario nexu cohæret, & meritoria dicitur, quia dignitate, merito ac perfectione ſua impetrare potuit, ut Pater cœleſtis nos in hoc dilecto ſuo Filio gratos & acceptos haberet, ante jacta mundi fundamenta eligeret, & in tempore propter ipſum nos juſtificaret ac ſalvaret: viciffim etiam inde atque ideò Chriſti obedientia eſt cauſa impulſiva, Deum ad ſalvandos nos movens, quia meritoria dignitas eidem ineſt. *Gerh. L. de Vita Æt. §. 42.* Sanguis, quem Deus-Homo, Mediator noſter ad promerendam nobis æternam vitam, effudit, quia eſt Dei proprius ſanguis *Act. 20. v. 28.* infiniti eſt pretii, propitiatorius, reconcilians nobis Patrem cœleſtem iratum, aperiens peccatis noſtris obſtructam viam, & clauſas cœli fores, acquirens vitam æternam. Dictorum Scripturæ ſacræ probantium & demonſtrantium obedientiam Chriſti perfectam, eſſe ſalutis æternæ meritoriam cauſam, latiffimus & ampliſſimus ſe aperit campus, quæ omnia & ſingula coacervare, & huc adferre ſuperſedemus, adductis ſolis principalibus, ut ſunt *Joh. 3. v. 13. 14. 15. c. 6. v. 40. Act. 4. v. 12. 1. Theſſ. 5. v. 10. 2. Tim. 2. v. 10. Heb. 5. v. 9. 1. Joh. 5. verſ. II.* quibus ſolum citari erimus contenti. Hujus obedientiæ Chriſti, quam modo cauſam ſalutis noſtræ meritoriam appellavimus, beneficia, quia non niſi fide, manu quaſi mendica, accipiuntur, & nobis applicantur, oſtendunt eo ipſo,

§. 36. *Eidem eſſe cauſam instrumentalem apprehenſivam,* juxta expreſſa Scripturæ testimonia. In Vet. T. præcipuum & ſummum locum aſſignamus illis, *Pſ. 2. v. ult. Beati omnes, qui confidunt in eo (Domino,) ideò & Habacuc 2. cap. v. 4. ait, Juſtus ex fide ſua vivet.* In N. T. quod in omnibus clariori gaudet & radiat luce, eminet illud *Joh. 6. v. 40. Hac eſt voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviffimo die. 1. Cor. 1. v. 21. Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. 2. Theſſ. 2. v. 13. Elegit nos Deus ab initio in ſalutem, in ſanctificatione Spiritus, & fide veritatis. Jac. 2. v. 5. Deus elegit pauperes in mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe.*

Cauſa instrumentalis.

I. Pet. I. v. 5. *In virtute DEI custodimini, per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.* Cavendum hinc, ne quis in erroneam sententiam descendat, existimans, Fidem hominis credentis Gratia Dei & merito Christi esse oppositam. Subordinata enim sunt, non opposita. Triplex hæc causa salutis æternæ sola merita hominum excludit, unaquæque autem inter se reliquas includit, habito tamen certo ordine & respectu, ita ut Dei gratia salutem æternam præparaverit, & per ministerium verbi & Sacramentorum obtulerit, Christi obedientia satisfactoria promeruerit, & amissam reparaverit, & Fides præparatam, promeritam, acquisitam & oblatam amplexa sit.

Causa finalis.

§. 37. Quo sine Deus homines finaliter credentes, & in Christo propter fidem ipsorum beneficia parata amplectentem, electos tantâ beatitudine & gloriâ beet, indicat Apostolus Paulus *Principalem esse gloriam DEI*, Rom. 5. v. 2. *Per quem & accessum habemus per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloria DEI.* h.e. Per Christum in vera invocatione accessum liberum & alacrem habemus *per fidem* Christo nitentem ad gratiam DEI, qua nos gratis diligit, *in qua nos stamus*, antea per peccata & justam DEI iram prostrati, ut non potuerimus coram ipso stare, & gloriamur, h.e. lætamur, certi sumus, & celebramus, nam hæc omnia vox *gloriarum* complectitur, lætitiâ, certitudinem in aliqua re, & celebrationem alicujus rei, *in spe* i.e. gloriæ DEI expectatione certa futuræ glorificationis in vita æterna, & expectatione liberationis vel mitigationis calamitatum in hac vita, juxta consilium Dei. Item D. Petrus I. Epist. c. 5. v. 10. *DEUS autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitq.* i.e. Dominus qui gratiam suam liberalissimè effundit, atque ad vitæ æternæ participationem vos vocavit, vos qui ad breve tempus afflictiones sustinetis, Spiritu suo restaurabit, ut renovatio vestra in melius indes incrementa sumat: idem vos ad tentationes feliciter vincendas, confirmabit atque armabit, & in vera fide atque pietate ita fundabit, ut adversus omnes tempestates, procellas & insultus Diaboli consistere possitis. *Luceas Osander b. l.* In his dictis vita æterna gloria DEI appellatur,

3.

tur, uti in expositione eorum ostendimus. Ratio appellationis defumitur ex eo, quod Deus in vita aeterna sit manifestaturus gloriam suae bonitatis, misericordiae, omnipotentiae, veritatis, sapientiae & iustitiae. Alter ex parte Electorum est eorundem refectionis, & perceptorum beneficiorum Dei celebratio. Refectionem probamus ex Apoc. 7. v. 17. *Absterget Dominus omnes lachrymas ab oculis eorum,* (qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni, & ideò sunt ante thronum Dei) & Es. 65. v. 16. *Oblivioni tradentur angustiae priores,* & v. 19. *ibi non erit vox fletus & clamoris.* Proinde mortui in Apocalypsi Johanna c. 14. v. 13. *beati praedicantur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur amodò: Etiam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus: opera enim illorum sequuntur illos.* Celebrationem beneficiorum divinatorum Beatis in caelo typica caelestis Hierosolymae demonstratio, Apoc. 14. v. 3. tribuit: ubi dicitur: *Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores, & nemo poterat discere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.* Per Canticum novum nihil nisi nominis divini propter beneficia Christi, quae vigore N: T, nobis obtingunt, celebratio intelligitur.

§. 38. Enumerationem causarum excipiunt *Affectiones* ^{Affectio-} *Beatitudinis* Electorum in altera vita. Harum prima est *Du-* ^{nes.} *ratio perpetua.* Vita haec, quam nunc vivimus, non modo ipsa ^{Duratio-} brevis, caduca & arumnosa est, de qua Jobus Patientiae exemplum & documentum c. 14. v. 1. queritur, & cum eo unusquisque hominum queribundus exclamare cogitur: *Homo natus demuliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; sed & ipsius bona in ipsa hac brevitate non sunt constantia, verum citò trans-eunt, & brevissimo durant tempore, saepius unico tantum momento permanentia, tristibus permixta.* Gaudia verò & bona caelestis vitae non modo non miscentur tristibus, sed perpetua gaudebunt continuitate & aeternâ duratione, quod volunt expressa testis omni exceptione majoris, Christi, Veritatis Doctoris, verba, Joh. 16. v. 22. *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum*

vestrum nemo tollet à vobis. Et infallibilis autoritatis testis Spiritus S. per Prophetam & V.T. Evangelistam Esaiam c. 35. v. 10. *Et redempti à Domino, convertentur & venient in Sion, cum laude, & letitia sempiterna super caput eorum; gaudium & letitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus.* Dan. 7. v. 18. *Suscipient autem regnum Sancti (DEI) altissimi: & obtinebunt regnum usque in seculum, & seculum seculorum.* Nunquam itaque Beatorum in cælis felicitas desitura est, nunquam ipsi beato suo statu excident, nunquam deseret ipsos summa quâ fruuntur, letitia & salus; sed constans permantura est ipsorum gloria. Sicut damnatorum mors (infelicitas) non morietur in æternum (desinet) ita nec Beatorum vita (felicitas) habebit finem.

Varietas & inæqualitas.

§. 39. Deinde inter affectiones recensemus *Varietatem & inæqualitatem*, ex Dan. 12. vers. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates.* & 1. Cor. 15. v. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Luna, & alia claritas stellarum.* *Stella enim à stella differt in claritate: Sic & resurrectio mortuorum.* DEUS præmia gloriæ suæ dispensat secundum *ἐργα ἕ κατὰ ἴμενα* labores & passiones eorum, qui diversa gesserunt munia, & labores passi sunt, certis accidentalis, quæ in variis animæ & corporis ornamentis ultra essentialem beatitudinem, quæ est fruitio ac visio DEI, Electis in vita æterna communicandis, consistit, non essentialis gloriæ gradibus distincta. Modum diversitatis & inæqualitatis, & in quibus bonis hoc discrimen sit futurum, quamvis nesciamus, quia *oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis descendit, quod præparavit Deus iis, qui ipsum diligunt.* 1. Cor. 2. v. 9. Es. 64. v. 4. & quia *nondum apparuit, quod erimus.* 1. Joh. 3. v. 2. Scripturæ tamen Sacræ simpliciter credimus, ipsius fundamento innixi.

Locus.

§. 40. Sequitur jam *Locus Beatorum*, de quo multi multa disputant: ut etiam nos aliquid dicamus, asserimus vocem loci in latiori significatione accipi oportere, pro omni alicubi, & præsentiam ejus, pro omni adessendi modo, cujuscunque rei sive sit substantia, sive accidens, sive totum, sive pars, sive spirituale, sive corporeum & materiale, ut ita ipsi Deo, omnibusque rebus

3.

rebus creatis rectè vereq; tribui possit. *Ebel. Aphor. Metaph. Disp. 7. §. 26.* Nam ut tempus in vita aeterna non erit, nec physica sed spiritualia corpora, ita nec physicus aliquis erit locus, sed semper Domino praesentes erunt sancti, ubicunque ille fuerit. In eodem latiori vocis loci sensu & acceptione infernus, à quo distinctus est Beatorum locus, Luc. 16. v. 28. τὸ πρὸς τὸ βασιλεὺς vocatur. Hoc autem πρὸς s. alicubi an sit creatum, an increatum, an corporeum, an verò incorporeum sive spirituale, an sit intra hujus mundi compaginem, an extra, nemo mortalium unquam in hac vitæ imbecillitate satis indagare & determinare poterit. Similia, quibus sacer Codex ad captum humanum se accommodans in depingendo hoc πρὸς utitur, praeter magnitudinem, altitudinem, pulchritudinem & magnificentiam, nihil demonstrant. Verbi gratia, quando D. Petrus 1. c. 1. v. 4. caeli vocabulo illud πρὸς appellat, non hoc vult, quod sicut caelum visibile est, etiam πρὸς beatorum visibile & aspectabile sit. Et sic in reliquis, quæ ultra suum tertium, quod jam ostensum est, non sunt extendenda. Statuimus ergo cum D. Balthaf. Meisnero, *Philos. sobr. P. 1. Sect. 3. cap. 4. membr. 3.* Melius nos scire quid non sit caelum (Beatorum locus) quam quid sit. Non enim est locus quispiam, creatus, certisq; mansionibus distinctus: nec est corpus quoddam altissimum, proxime super caelos aspectabiles locatum, in quo standum, sedendum & deambulandum sit. Hac enim omnia sunt *ἄχρησται*, quæ in statum istum gloriosum & *πνευμαλικὸν* denuò intrudi non debent. Hac ille.

§. 41. *Terminus à quo*, sive initium consummatae Beatitudinis Electorum constituitur universalis omnium demortuorum resurrectio, & post hanc extremum iudicium à Christo vivorum & mortuorum iusto & infallibili iudice exercitum & habitum. *Πρόγευσις* quidem ac praegustus hujus beatitudinis in hac vita in cordibus fidelium excitatur à Spiritu S. juxta auctoris epistolæ ad Hebr. c. 6. v. 45. testimonium. Et quamprimum animæ fideles per mortem corporalem à corporibus sunt solutæ, Deus eas per ministros suos in sinum Abrahæ, i. e. in Beatorum locum, deportari curat, uti ex Evangelio Luc. 16. v. 22. manifestum est, in quo loco, sive sinu Abrahæ eas gaudii, lætitiæ & pacis participes reddit. sed demùm in novissimo die corpora à

D

Christo

30.

29.

28.

36.

2.

3.

4.

Christo resuscitata, & animabus suis redunita, & ipsas animas corporibus suis redditas, lætissimo beatitudinis cœlestis & æternæ complemento dotabit, & in plenam cœlestium bonorum possessionem immittet, quâ sine fine continuo fruuntur.

§. 42. De *Cognatis & Contrariis*, quæ circa hanc materiam à Theologis annotantur, ut hîc etiam agamus, scopus noster non permittit. Qui ea desiderat, adire potest absolutissimos *D. Gerhardi* Locos, & alia Systemata Theologica, ubi fusiùs ea tractantur. Nos rudi penicillo delineatam & tanquam carbonibus & cerusâ adumbratam civium cœlestium beatitudinem concludentes, Lectorem pleniorem de ea petentem notitiam ad accuratissimorum Theologorum opera accurata & plena remittimus; reliqua, quæ captum humanum transcendunt, & nostrum intellectum finitum, infinitam gloriam non comprehendentem, hîc fugiunt, in futuram vitam, & realem fruitionem reservantes. Ubi intellectus noster à beatifico DEI conspectu illuminatus plenariè perficietur, ut ea, quæ in hac vita sunt nobis investigabilia, perfectissimè cognoscat. Finimus verbis

Apostoli Col. I. v. 12. *Gratias agimus Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.*

A M E N.

Ad

Ad Præstantissimum Dn. Respondentem,
& Disputationis Autorem.

ÆTernam eloquitur Tua Differtatio vitam,
Quid meditere lubens edocet ista satis.
Omnibus illa Piis est unica meta laborum,
Cujus si non sit spes, nihil esse velis.
Hujus spe vitæ patientia nititur omnis,
Hanc spem sustentat Spiritus ipse DEI.
Ut Tibi succedat, quod agis, feliciter, opto.
Irritus esse nequit tam pius iste labor.

gratulabund. scr.

Isaacus Faustius D.
Univerfit. p. t. Rector.

Schmidius in thesibus venturum cogitat ævum,
Et tractat vitæ vota suprema sue
Sic secum pietas simul atq; industria certant,
Utraq; ceu victrix premia digna feret!

Benev. E. fecit

Baltas. Bebelius D.
Fac. Theol. h. t. Decanus.

Pereximio Dno. Respondenti,
Amico suo pl. dilecto.

SCHMIDI, coelicolæ mentes, quâ sorte fruuntur,
Quando demonstras, ominor atque precor:
Sic quondam tractes divini dogmata verbi,
Ut multos ducas Pastor ad huncce scopum.

scr.

Johannes Faust, SS. Th. D.
Log. & Metaph. P. P.

Pereximio

Pereximio DN. RESPONDENTI,

Amico dilecto:

Addubitat quondam fueritne in corpore Paulus
Ad celsi raptus tertia claustra poli,
Et Paradyfiacæ ingressus contermina sedis,
Corporis exuvias exueritne sui?

Tu verò terræ quantumvis mole gravatum
Te scis, in cœlos corda animumque levas,
Inque beatorum sedes penetrare supernas
Niteris ingenio, corpore pressus humi.
Sic decet, ad cœlos qui monstraturus es olim
Longum iter, ante alios mente præire viam.

gratulab. scr.


Julius Reichelt,
Mathem. Prof. Ordin.

3.)
Vita Beatorum quæ sit, quæ gloria cœli,
Non absque cœli disputas dictamine.
Balbutire quidem potius, quam dicere, nostrum est,
Quæ sit piis polo repõsta gloria,
Tantum scire licet, quantum sacra pagina nobis,
Quotquot viatores sumus, nunc dicitat.
De cœli, in terris, facie, discurrere, fas est
His, quos datus tangit futuri gloria.
Hæc dum ritè doces, magno sub Præside, Amice,
Quæ sit beatorum perennis gloria,
Hactenus excultæ depromis munera vitæ,
Et hinc tibi in solo est futura gloria.


*Evangelistas ergò Pereximio Dn. Respondenti,
Cognato suo, deproperabat*

Gabriel Löschenbrandt / Heilbrunn,
Gymnasii Rector,


F I N I S.




3.




3.




3.





the scale towards document



judicio æstimabilem, etiam peccatori,
in finitæ tuæ bonitatis effectum esse a-
naturaliter naturalia dat omnibus, ita genera-
los, non quidem quantum ad culpam, sed
Scholasticis g) non malè hoc explica-
etiam sic Deus respicit, ut ceu le
lei adversatur. Probatur hic amor,
iisdem verbis Apostoli, δι' ὃν τὸ πᾶν-
virum propter divinum amorem, & in
ia sunt creata, & propter hunc etiam
divinum pulsantem, & in gloriam
is, se decere Deus Pater judicavit, ut
daret, Joh. 3. 16. si vellet genus hu-
riam, qua per peccatum exciderat.

est explicatio: Ἄξιον τῆς φιλανθρω-
πίας τὸν πρωτότοκον πάντων τῶν υἱῶν τῶν
αὐτοῦ, λαμπρότερον πάντων ἀποδείξας h) Panstr.
& τοῖς ἄλλοις ὅπως δεῖ ἀδελφῆν. Quod
id Pater fecit, cum primogenitum omni-
participes futuri erant, clariorem & splen-
didi per passiones, ut ostendat etiam aliis,
constat hinc quam indecorum, Deoq;
tum istud odium, cuius actum reproba-
) & quando Beza i) Deum absq; ul-
tri destinare, & odio destinare garrit,

onem eius quod Deum decet, dicimus
fericordiam, quæ in operibus gratiæ
im hanc deprædicat, nobisque ad imi-
a, Exod. 34. 6. Esai. 63. 7. Jer. 31. 20.
Luc. 6. 36. Jacob. 5. 11. quanquam
divini decori prout affectivè in DEO
n ex naturæ perfectione, & eminenti-
tudine & bonum, & benignum, &
quin tamen, si quid effectivè Deum
quare hoc Deum ita decuerit, ad-
Ita καὶ τὸν αὐτὸ ἔλεον ἴσωται ἡμῶς,
C secundum

g) Bonaventur. 3. sent. d. 32. 7. 2. Biel. d. c.

g) Comm. h. l. f. 891. h) Panstr. t. 3. l. 7. c. 1. n. 5. i) ad Rom. c. 9. p. 108.

4